



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

96. Quid possit patronus circa ponendum custodem, instituendum vel destituendum Rectorem, & circa præcipiendum Rectori.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)



stant. Trid. *sess. 25. c. 9.* unde administratio gazophylacii, non ad patronum, qui Ecclesiam vel capellam fundavit, sed ad Rectorem & ministros Ecclesiae, vel ab ipso rectore deputatos pertinet. Pirh. *ibid.* citans Laym. *Th. Mor. l. 4. Tr. 2. c. 13. n. 11.* praecipit item Trid. *sess. 24. c. 3.* ut patroni visitationi ornamentorum Ecclesiae aut bonorum stabiliu seu fabricarum proventibus se non immisceant, nisi quatenus id eis ex institutione ac fundacione competit: ait tamen Laym. *ad cit. c. sicut. n. 3.* quod, cum titulus administrationis in temporalibus tempore vacantis praeturae vel beneficii absolute cadere possit in patronum, etiam laicum, ecclesiae, difficile is ei auferri possit, si fundetur in consuetudine immemorialis; ita tamen, ut ea administratio sive perceptio fructuum non cadat in gravamen Ecclesiae, quam ob rem tales patroni alique vendicantes sibi tale jus administrationis curare debent, ne bona vacantis Ecclesiae alienentur; atque in hujus rei testimonium conficere inventarium rerum praesentium; item abstinere a perceptione fructuum, qui maturi necdum sunt, seu quorum percipiendorum tempus nondum advenit, quales v. g. sunt sylvae caeduae, quae tempore vacationis non sunt in eo statu, ut caedi debeant. Ac denique fructus ac redditus, qui eo tempore proveniunt, successori in beneficio retinere. Ita fere Laym.

*Questio 96. Quid possit patronus circa ponendum custodem instituendum vel destituendum Rectorem, & disponendum de beneficio, ac demum circa praecipendum Rectori?*

**R**espondeo ad primum: non posse patronum laicum (nisi forte id habeat ex speciali privilegio Papae vel consuetudine legitime praescripta) ponere custodem vel oeconomum Ecclesiae. Laym. *ad c. cum nos. de off. jud. ordin. n. 4.* citans Jo. And. *ad id. c. n. 5.* posse tamen id patronum Ecclesiasticum; eod quod is Ecclesiam beneficiam vacantem reddituum custodiam & administrationem habeat: ex eo enim jam etiam oeconomum seu reddituum administratorem ibi constituere possit, tenet Laym. citans Abb. *in cit. c. cum nos. n. 8.* & Jo. And. *ubi ante:* quamvis contrarium etiam de patrono Ecclesiastico sentiat. Lott. *cit. q. 11. n. 68.*

**2.** Respondeo ad secundum: rectorem beneficii, maxime curati, nullatenus instituere potest patronus, etiam Ecclesiasticus; sed solum praesentare ab Ordinario instituendum; multoq; minus illum destituere. Laym. *ad c. sicut. de elect. n. 2.* Barb. *juris Eccles. l. 3. c. 12. n. 207.* juxta *c. sicut. de suppl. neg. prae. & c. praeterea. h. t.* Unde, si velit praesentare, ut destituatur is, qui beneficium obtinet, adversatur illi manifestus defectus potestatis: absurdum enim est, cum mutatione voluntatis ipsius patroni mutare etiam rectorem beneficii. Lott. *l. 2. q. 6. n. 3. & 4.*

**3.** Respondeo ad tertium: non potest patronus, etiam Ecclesiasticus, concedere aut liberè conferre Ecclesias aut beneficia, in quibus jus patronatus habet. *c. transmissa. h. t.* Sed neque concessio seu collatio facta a patrono, etiam Ecclesiastico, vim praesentationis habet, ut expresse colligitur ex *cit. c. transmissa* Pirh. *h. t. n. 28.* Unde Episcopus vel alius, ad quem spectat institutio, non debet admittere literas praesentationis, in quibus patronus sive Ecclesiasticus, sive laicus se vocat collatorem beneficii, vel concessionem vel collationem sibi competere, qualis mos obtinet in quibusdam diocesis germaniae,

quae, qui aboleri deberet; cum ex abusu vocabulorum facile sequatur etiam abusus potestatis, maxime in laicis. Pirh. *ibid.* citans Abb. *in c. cum autem. h. t. n. 5.*

**4.** Respondeo ad quartum: patronus, etiam Ecclesiasticus, v. g. Abbas, monasterium, vel capitulum collegiatum nihil circa curam plebis & Sacramentorum administrationem rectori instituto praecipere potest, sed Episcopo denunciare debet, si officium male administraret. Laym. *loc. cit.*

*Questio 97. Quid possit patronus circa electionem Praelati in ecclesia collegiata vel conventuali.*

**R**espondeo primò: non permittitur, ut patronus laicus una cum Clericis tractatui electionis se immisceat, argumento *c. 1. & c. sicut. & c. sacrosancta. de Elect. Laym. in c. cum terra. de elect. n. 5.* consuetudine tamen & fundacione constitui potest, ut patronus laicus ad electionem praelati vocandus sit, non ut electionis tractatui se interponat, sed ut sua praesentia & auctoritate clericorum liberam & canonicam electionem defendat. Laym. *ibid. n. 6.* atque ita sustineri potest per consuetudinem & privilegium, vel per fundacionis literas, ut mors praelati nuntiari debeat patrono laico, ut consensus ejus vel potius parrocinium ac defensio petatur ad novam electionem juxta canones celebrandam. Laym. *ibidem n. 7.* remittens ad Gregor. Tholos. *de elect. c. 19. n. 15.*

**2.** Respondeo secundò: potest etiam fundator sibi & successoribus patronis, interveniente auctoritate & consensu Episcopi, reservare jus factae jam electioni consentiendi, vel etiam interveniendi in electione sine suffragio per modum consulutionis. Lott. *l. 2. q. 6. n. 64.* citans Innoc. *in rub. de jure patr. n. 3.* De cetero fundator, multoq; magis patronus successor, sive praesentat jus praesentandi, sive simplicem concursum in jure eligendi, praesentatio habet a pertam juris resistentiam; nam praesentationi repugnat ipsa natura beneficii electivi, interveni autem in electione lex ipsa majori vi resistit; cum jus eligendi non possit cadere in laicum, juxta *c. sacrosancta. de Elect.* redundatque illud in dispendium libertatis Ecclesiasticae, sive agatur de praetura seculari, sive regulari. Lott. *loc. cit. a n. 52.* Unde tamen non sequitur, non posse fundatorem laicum acquirere patronatum in Ecclesia conventuali citra privilegium Apostolicum; etsi enim hunc unum fructum jus patronatus consistentem in praesentatione vel electione praelati non consequatur citra dictum privilegium, consequitur tamen sine illo jus ipsum patronatus in substantia, & prout est quid individuum, etsi respectu juris praesentandi, quod alias est unum ex consecutivis ad illud modificatum; quin & consequitur jus patronatus quod ad alias quoscunque illius effectus, puta, honorem, praesentiam, alimentorum receptionem; jus etiam praesentandi ad praebendas, aliaque beneficia inferiora ab ipsa praetura. Lott. *loc. cit. n. 50. & 65.*

*Questio 98. An, & qualiter patronus praesentare possit, dum beneficium adhuc est plenum, vel ad vacaturum?*

**R**espondeo ad primum: dum beneficium adhuc est plenum, seu non vacat, patronus habet quidem potestatem praesentandi in habitu, sed non in actu, sive habet potestatem hanc ligatam. Corrad.